DE IIS, QUAE AD COGNOSCENDAM

IUDAEORUM PALAESTINENSIUM,

QUI IESU TEMPORE VIVEBANT,

CHRISTOLOGIAM

EVANGELIA NOBIS EXHIBEANT,

DEQUE

LOCIS MESSIANIS IN ILLIS ALLEGATIS.

SCRIPSIT

ADOLPHUS MORAHT, PH. DR.

HAMBURGENSIS,

SEMINARII CATECHETICI ET SOCIETATIS EXEGETICAE SODALIS.

GOTTINGAE,

TYPIS GEORGII AUGUSTI HERBST, TYPOGR. ACAD.

MDCCCXXVIII.

Viri summe Venerandi!

Vos hasce studiorum meorum primitias, qualescunque sunt, benigne excepturos esse, non illae ipsae, sed Vestra mihi persuasit indulgentia, qua et ii semper gavisi sunt, qui minores, quam ut magna praestent, voluerunt saltem maiora. Non enim illi me comparem, qui, quae doctrina et gravitate Vestra sint digna, Vobis possit offerre, et bene scio, tales, qualis hic est, libellos in nullius plerumque nisi in autoris conscriptos esse emolumentum. Ad summos enim in philosophia honores ob-

HENR. IUL. WILLERDING,
S. S. TH. D. ET REV. MIN. SEN.

AUGUSTO IACOBO RAMBACH,
S. S. TH. D.

LUD. CHRIST. TH. STRAUCH,
PH. D.

ERN. GODOFR. AD. BÖCKEL,
S. S. TH. D.

HENR. GUIL. IUSTO WOLFF,
PH. D.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

CUPIT

AUTOR.

Quae Iudaeorum, Christi tempore viventium, fuerit Christologia, h. e. quae ipsorum fuerint de Messia iamiam venturo placita, saepissime iam docte et subtiliter expositum est [1]): res tamen ipsa omni dubio libera vix dici possit, quum, quae de ipsa a plurimis variae prolatae sunt sententiae, perquam fluctuantes adhuc videantur. Neque tamen unde hoc venerit quaerentem, caussae latebunt. Nam, ut nonnulla tantum afferam, alii Iudaeos Messiam mortem subiturum esse expiatoriam putasse affirmant, alii negant — alii Iudaeos Messiam divinitus

---

1) Vid. inprimis *Bertholdt, Christologia Iudaeorum* et *C. F. Schmidt, Comm. de variis, quae Iudaei Iesu tempore de Messia habuerint, placitis et Christolog. Fragmente, in eiusd. Bibliothek für Kritik und Exegese* — quarum tamen Schmidtii commentationum neutram adire licuit. Varias variorum de singulis, quae caussam nostram tangunt, dissertationes, e. g. *de Wettii, Gableri, Staeudlini,* all. suo tempore allegabo.

habendi, ita, ut quas suas de Messia exhibent sententias, non Iudaicas, sed Christianas potius habere possis. Quae quum ita sint, quia nos Iudaicas de illo cognoscere volumus opiniones quaeque Iudaei ante Iesum, vel potius ipso, quo vixit, temporis momento, fovebant placita, non quae autores ss. tanquam sua, sed quae aliorum, qui nondum Iesu doctrinam acceperant, de Messia placita ultro afferunt, quaeque primorum temporum autores, inprimis tres priores Evangelistae cum istis congruentia exhibent, vere Iudaica habeas. Haec tamen omnia ad priora sunt diiudicanda. Unde historicos tantum N.T. libros, quae quaerimus, nobis suppeditare posse, sponte sequitur. Hanc vero normam in eruenda Iudaeorum Christologia a viris doctis saepius esse neglectam, vix ac ne vix quidem existimare licet. Iam vero Bertholdus, etiamsi vera ista agnoverit, sibi ipse minime constans, ad probanda dogmata de Messia Iudaica, ubi desunt argumenta, qualia innuimus, ex Apostolorum epistolis affert quae sola nullam in hac caussa vim probandi habere possunt, aliaque saepissime ex Rabbinis, Talmude, Apocryphis ct. addit, quae nullo, ratione modo exposita ex N.T. libris historicis depromto argumento adiuncto, nil probant. Sic e. g. Iudaeos Iesu tempore et ante

ipsius aetatem notionem *του λογου* ad Messiam iam applicuisse probare studens, provocat ad 1 Cor. 10, 4. 9. Sap. 10, 15. 19. 11, 1-4. 18, 15. ad Targg., Rabbinos, Messiam *verbum Dei* nominantes atque sic ad alia Apostolorum dicta: *πληρωμα θεου* etc. Sed doctores Alexandrinos notionem *του λογου* excultam iam habuisse Apostolosque et seriores Iudaeos Messiae talia tribuisse, etiamsi concedam, Iudaeos tamen Palaestinenses, Christi tempore viventes, talia iam de Messia praedicasse, minime inde sequitur.[4]

Eiusdem Staeudlinus[5] quoque argui potest erroris, qui e. g. Iudaeos ante Iesum, Messiam mortem expiatoriam esse subiturum, iam exspectasse, Petri aliorumque apostolorum dictis probare studet. Neque ipse de Wettius ubique rem tetigisse videtur, etiamsi Bertholdum prae caeteris eiusdem, cuius ipse argui potest, er-

---

4) *Bertholdt*, l. l. p. 132. cf. *Süſskind*, *Magazin* 10, 54. *sqq.* *Schmidt*, *Bibl.* 1, 374. ubi Bertholdi sententia impugnatur.

5) vid. *eius Comm. Über den Ursprung der Idee eines leidenden Messias*, in *Götting. Biblioth.* 1, f. 4. p. 240.

roris convicerit[6]). Eodem modo in afferendis locis e libris N.T. historicis depromtis, saepius falsa attulisse videntur viri docti. Nam de Wettius, ut probet, Iudaeos adventum Messiae tempora angustiora antecessura esse, putasse, provocat ad Math. 24, 7-12. 21. Luc. 21, 23. Marc. 13, 19. Hic tamen Iesu ipsius afferuntur verba, quibus in nostra caussa vis probandi deneganda videtur. Bertholdus autem nonnunquam loca affert, quae nil omnino probant. Nam quae leguntur Math. 2, 2. 4. cf. 1, 22. 23. Luc. 1, 48. minime, ex mea sententia, docent, Iudaeos Messiam infantem iam munus suum subiturum esse, existimasse — neque Math. 24, 13. Luc. 17, 20. Messiam adultum uno ictu munus suum absoluturum esse. — Sed manum de tabula! hoc iam teneamus: historicos tantum N.T. libros in caussa nostra tanquam fontes primarios habendos esse, neque tamen omnia, quae nobis exhibeant, eodem modo consilio nostro posse inservire.

Hacce tamen via, quaecunque Iudaei de

6) vid. *eius bibl. Dogmatik*, 2te *Ausg.* p. 160 sq. 169. quaeque ex Comm. laud. infra allegata sunt.

Messia habuerint placita, erui posse, quis est, qui putet? Nam Messiam rediturum esse, num Iudaei speraverint, quid de iudicio extremo statuerint, non discemus, talia, de quibus Evangelistae nos certiores non facient, integra relicturi [7]). De istis tamen, quae summi di-

7) Epistolis Apostolorum et Apocalypsi opiniones Iudaicas non inesse, non est, quod contendam vel contendere possim: Iudaicas autem cum Christianis ibi commixtas dicere licet, ideoque libri illi nonnisi tanquam fontes secundi ordinis adhiberi possunt.

Etiamsi ad finem, quem mihi proposui, non pertineat, plura de origine spei Messianae inter Iudaeos disserere: nonnulla tamen de ipsa, inde a tempore, qua orta videtur usque ad Iesu aetatem varie mutata, proferre liceat. Sed breviter tantum, quae huc faciunt tangam. — Aurea, quam dicunt, aetate quisque homo et populus gaudet, cuius, si praeterierit, reditum uterque (frustra plerumque) exoptat. Si qua igitur spes, illi Iudaeorum similis, in populo quodam fit conspicua, aureum huic quondam fuisse aevum ipsa illa probare mihi videtur. Atque vel hanc ob caussam Iudaeos iam ante Davidis tempora talem fovisse spem, verisimile non videtur, idque non quia ante aevum Davidicum sempiterna gavisi sint felicitate, quia

daeorum nempe placitis de Messiae origine, natura, muneribus, fato. Quae si quis cum illis, quae e. g. liber, Henocho adscriptus, de iisdem rebus exhibet, contulerit, post Iesu tempora conscriptum esse librum, facile videbit.

Quae Iudaeorum de Messia fuerint placita pro viribus si exposuerim, allegationes locorum V.T. Messianorum, quas ab Evangelistis vides prolatas, breviter examinabo. Quaecunque enim Iudaeorum ante Iesum viventium recens addita videntur Christologiae, eodem modo quo placita de Messia antiquiora, locis, ex V.T. adhibitis, ab Evangelistis esse probata, verisimile non est. Neque ita esse, altera dissertatiunculae parte ostendere conabor.

---

tempore spem multum iam ante Iesum temporis (nonnullis quidem mutatis) recurrisse, ita ut proximi ante Iesum seculi spem Messianam, inter Palaestinenses vigentem, et ad prophetarum priorum vaticinia, et ad ea, quae Iudaeos ipso Iesu tempore Messiae tribuisse iam videbimus, propius accessisse intelligamus. cf. *Wegscheider*, *Instt.* p. 383. ed. 5tae. ubi, quae de origine spei Messianae exstant scripta, allegata sunt.

Totam, qua Iudaei Messiam functurum esse putabant, provinciam *την λυτρωσιν του Ισραηλ* nominabant (Luc. 2, 30. 38. 1, 74. 24, 19-21. cf. Act. 1, 6. et al.) inque Messia hoc praecipue conspicuum fore existimabant, quod civitatem Iudaeorum sit liberaturus pristinamque ipsi gloriam et splendorem vindicaturus. Quem finem ut assequi possit Messiam cultum Iovae vitiis purgaturum atque sic unicae felicitatis conditioni satisfacturum ideoque non tam propheticum, quam regium munus subiturum esse, quam maxime sibi persuadebant.

Iudaeos Messiam habuisse prophetam, quaeque tribuebant prophetis illi quoque tribuisse, ex multis prodit locis in Evangeliis obviis. Primum enim, Messiam prophetam fore a Iudaeis declaratnm videmus, Io. 6, 14. 7, 40. prophetamque liberatorem Israelis exstiturum esse. Luc. 24, 19-21. Quaecunque deinde prophetarum habebant, Messiae quoque tribuebant vel ab eo perpetratum iri putabant. Discipulos enim Iesum, quem Messiam esse persuasi erant, *διδασκαλον* nominasse et habuisse videmus. Sic Andreas apud Io. Ev. 1, 49. *Ραββι*, inquit, *συ ει ὁ υἱος του Θεου, συ ει ὁ βασιλευς του Ισραηλ*. cf. v. 38. et al. Caveas tamen, ne ex iis locis, ubi qui Iesum Messiam nondum agnove-

runt, διδασκαλον ipsum nominant, Iudaeos docendi provinciam Messiae tribuisse, colligere velis. (Mth. 18. Io. 3. etc. etc.) — Quare eximiis eum quoque ingenii facultatibus praeditum habebant, et ita quidem, ut quae reliquis hominibus ignota sint, nota ipsi fore arbitrarentur. Io. ev. 1, 46 etc. (4, 19. 25. 29. 40.) 16, 30. Messiam praeterea aegrotos sanaturum esse, sibi persuasum habebant [8]), — (Io. 9, 33. Math. 12, 23. 11, in. Io. 4, 47.) et omnino miracula esse editurum, quae potiora auctoritatis propheticae indicia habebantur [9]) (Mth. 9, 20.

---

8) Morbi peccatorum habebantur poenae — Mth. 9, 2 sqq. Io. 4, 14. 9, 2. quare iis, qui sanantur, *peccata condonari*, saepius dicitur. Hinc prophetae, condonationem peccatorum futuram vaticinantes, morbis aliquando cunctos liberatum iri saepius affirmant. (Ies. 53, 25. 36, 5. et al.) Quare Iudaei Messiam morbos sanando peccata ipsorum auferre putabant atque in hac re partem muneris eius expiatorii collocabant. cf. Math. 13, 15. c. Marc. 4, 12. ἱνα ἀφεθῃ αὐτους τα ἁμαρτηματα = ἱνα ἰασωμαι αὐτους, coll. Ies. 6, 10. — Math. 8, 17. coll. Ies. 53, 4. 5.

9) Iesus hanc populi opinionem sequens, miraculis fidem et fiduciam sibi comparare studet, atque

21. 16, 1. Marc. 8, 12. Io. 2, 11. 18. — 7, 31. — 4, 28. 39. — 6, 14. 30. (4, 48. 15, 20.) Miracula autem peccatorem patrare non posse putabant — Io. 9, 16. (31.) unde Messiam quocunque vitio liberum habuisse videntur (Io. 9, 34). Ex his iam, quid de eo quomodo Messias munus expiatorium absoluturus sit, statuerint Iudaei, colligere licet. vid. inf. Hoc tantum hic addere liceat, Iudaeos, legem Mosaicam Messiam esse sublaturum, minime exspectasse. Io. eo. 9, 16. 28. Neque, quia Eliam et Messiam baptizaturos esse existimasse videntur, (Io. 1, 25) novae religionis autores a Iudaeis illos habitos esse arbitreris. vid. inf. Samaritani Messiam solo prophetico munere functurum esse patabant. Io. 4, 25 — 42. [10]). Iudaei tamen Palaestinenses potiorem et prae-

ad ea, tanquam autoritatis suae signa provocat. Math. 11, in. *Ev.* Io. 1, 36. — 10, 25. cf. Mt. 12, 9. 13. et parall. Nonnunquam tamen se miracula edidisse, divulgari vetat. Mt. 9, 30. Mr. 5, 33. 43. 8, 22-26. Luc. 8, 48. sqq. Quid? quod aliquoties miracula putrare recusat? Math. 16, 1. Mr. 8, 12. Io. 2, 18. 6, 30.

10) vid. *Gesenii Comm. de theologia Samaritt.* p. 44.

Luc. 19, 11. Io. 10, 24. [11]). Quibus si addideris, quae apud Lucam legis (24, 21.) et Io. (Ev. 7, 3. sqq. 6, 15. 12, 13.) quaeque de regno Messiano per mille annos duraturo in Ioannis Apocalypsi prolata sunt, (quae quidem spes quamdiu viguerit in ecclesia Christiana, quis est, qui ignoret?) rationem denique si exposueris, qua Iesus ipse hac populi Christologia et ad puriorem ipsam reddendam, et ad

11) Ad hanc populi de Messia opinionem Iesum se accommodasse videmus, regem se dicentem fundatoremque βασιλειας (των ουρανων). Ex hoc tamen ipso apparet, quomodo Iesus Iudaeorum exspectationem puriorem reddere studuerit. Initio talis Iesus a populo voluit haberi, qualem hic exspectabat: quare per prophetas adventum suum esse praedictum, saepissime affirmat, quaeque Iudaei a Messia exspectabant, ut fiant curat. Paullatim de vero suo consilio discipulos certiores facere conatur, saepiusque, num ultro illud perspiciant, periclitatur. Math. 16, 16 — 20. Ex hoc loco (v. 20.) prodit, Iesum verum Messiam nondum voluisse a populo haberi. Petrus enim non divinam Iesu tribuerat naturam verbis συ εἰ ὁ χριστος ct. sed verum ipsum, qualem exspectabant Iudaei, declaverat Messiam. vid. inf. ob eamque illa plurimorum v. 14. meliorem de ipso persuasionem laudatur a Iesu v. 17 sqq.

doctrinam suam propagandam, usus sit — hoc extra omnem dubitationem positum est: Iudaeos Iesu tempore viventes, Messiam exspectasse, qui cultu Mosaico denuo fundato, novo regno, aeque potenti et splendido, ac tempore Davidis, fundamenta iacturus, thronumque huius sit occupaturus.

Bertholdus perpaucos tantum Iudaeos, eosque vel magis pios vel sapientiores, Messiam cultum quoque Iovae restituturum putavisse affirmat, quam quidem spem totius spei Messianae partem habeo necessariam, — eosque, contendit, Messiam legem Mosaicam mutaturum speravisse, — quod tamen locis Marc. 2, 28. 13, 1. 2. minime probatur. Etiamsi fortasse fuerint nonnulli, qui talia sperarent, vulgarem Iudaeorum opinionem — de qua hic agitur — aliam fuisse, ex ea quoque apparet ratione, qua Iesus animos Iudaeorum ad doctrinam suam admittendam procliviores facere conabatur[13]).

13) Doctrinae enim Mosaicae se minime exstare inimicum, Iesum initio innuisse atque adeo aperte professum esse videmus. cf. Math. 5, 17., de vera doctrinae suae indole iam ab initio aperte disserere sapienter dubitantem. Quare discipulos

Ex his iam patere mihi videtur, Iudaeos Messiam merum hominem habuisse, quippe in quem humana tantum deferebant negotia. Iam vero et prophetam et regem ipsum habentes, quae prophetis et regibus, Messiae quoque tribuebant. Prophetas autem a Deo missos, reges Dei appellabant filios, utrumque a Deo electum, minime tamen eiusdem cum Deo naturae habentes. Quare ex eo, quod populus Messiam tum a Deo missum, tum Dei filium habuerit, divinae ipsum ab eodem participem habitum esse naturae minime sequitur. cf. Io. 12, 13. Luc. 19, 38.—4, 41. 8, 28. Math. 27, 54. (14, 33.) coll. 16, 16. — Io. 11, 27. (Act. 4, 25. 13, 33) [14]. Exstant, quae contrarium potius pro-

---

Israelitas tantum, neque Samaritanos quidem edocere iubet Matth. 10, 5 sqq. — Deinde obscurius verum suum consilium innuit. Matth. 8, 11. Luc. 13, 29. Io. 10, 16. parabolasque, illud spectantes, affert. Matth. 13, 31 et parall. — cf. etiam Io. 9, 16. — Quare sub finem demum vitae apertius, quid sibi velit, profitetur. Matth. 23, 13. 26. Mr. 16, 15 — et al. cf. Act. 1, 8.

14) Iudaeos, quae Danielis autor de Messia, filio hominis, protulit, ad ipsum applicuisse, Evangelia non docent. Nemo enim Iudaeorum Messiam sic appellat, Iesusque tantum se ipse filium di-

bent argumenta, quae tamen illi loci nobis non exhibent, ubi Iudaei, qui Iesum Messiam nondum agnoverant, filium illum dicunt Iosephi [15]). Matthaeus autem ipse, quem non solum de Messiana Christi autoritate, sed etiam de divina eius natura persuasum fuisse constat, huic suae sententiae ipse adversari videtur, utraque de hu-

---

cit hominis. Math. 26, 64. Math. 24, 15. Ad libr. Henoch., ubi nomen filii hominis συνώνυμον est Messiae et filii Dei, non licet provocare. v. *Wegscheider*, *Instt.* p. 584. ed. 5ta. cf. potius Io. 12, 34. cf. caeterum Io. 20, 28. ubi Thomas, divinam in Iesu agnoscens indolem, ὁ κυριος μου, dicit, και ὁ θεος μου, unde egregia inter nomen του θεου et του ὑιου τ. θ. prodit differentia.

15) Mt. 13, 55. 56. Luc. 3, 23. 4, 22. Io. 1, 46. 6, 42. Iudaeos saepius in Iesu origine, parentibus, patria offendisse legimus, non, quia Messiam humano genere oriundum, non exspectabant, sed tum, quia Iesu, pauperis et indocti patris filii, praeclaras ingenii facultates et doctrinam admirari cogebantur, tum, quia eius patriam huiusque incolas, quos pusillos hebetisque ingenii habebant, contemnebant, tum denique, quia, quae Iesus de divina sua dixerat natura, quomodo in ipsum, hominem cadere possint, non percipiebant.

mana pariter ac de divina, s. de insolita et mirabili Messiae origine sententia in uno eodemque capite prolata. Matthaeus enim Iesu patrem nominat Iosephum, (1, 16.) cuius stirpem ad Davidem refert. Per Iosephum igitur Iesus e gente Davidica originem duxit, neque vero per Messiam. Illum patrem Iesu fuisse, res summi momenti ab ipso Matthaeo habenda erat, — nam, nisi Iesus Iosephi fuisset filius, Davidis filius non poterat appellari. Iam vero Matthaeus, qui illud probare antea erat conatus, eodem capite spiritum sanctum patrem Iesu fuisse enarrat. (v. 20.) in eoque egregie secum pugnat [16]). Quid autem

16) Lucas (Ev. 3, 23.) Iesum Iosephi filium habitum esse (ὡς ἐνομίζετο) affirmans, simul tamen eo, quod Iosephi filius fuerit, Davidis etiam prolem, vel Dei filium esse probare studet. — Simili modo Evangelistae tres priores, humani nil alienum a Iesu habentes, nonnulla, quae Iesum, Deum, nou decere mihi videntur afferunt, in eoque etiam secum pugnare vix negare possis. Quare Ioannes in πνευματικῷ suo Evangelio illa omisit. Talia habeas, quae Evangelistae tres priores parabolice s. allegorice narrant de διαλογισμοῖς in Iesu pectore exortis. Math. 4, 1 sqq. Marc. 1, 12. Luc. 4, 1 sqq. quae de me-

inde sequitur? dogma de miraculosa Messiae origine Iudaeorum Christologiae non infuisse? [17]). Quomodo Iudaeis porro, quod Iesus de natura sua, arctissime cum Deo coniuncta, docet, σκανδαλον esse potuisset, si Messiam exspectassent divinum, neque hominem? Nostram sententiam ea potissimum, quae Ioannes (Ev. 10, 24 sqq.) profert, probant. Quousque tandem, Iudaeos exclamasse legimus, patientia nostra abuteris? quando tandem de esse Messiam, aperte profiteberis? Iam nobis dicas, num Messias sis, necne? Iesus autem, non ego, inquit, qualem vos exspectatis, sum Messias — ἐγω και ὁ πατηρ μου ἕν ἐσμεν. — Ἐβαστασαν οὖν λιθους, ἵνα λιθασωσιν αὐτον. cf. v. 33. Io. 8, 58. 59. coll. 6, 42. Quid? quod post Christi mortem permulti Iudaei verum ipsum habuerint Messiam, divinam tamen ipsius naturam negaverint, — Ebionitae nempe, qui dicuntur.

---

tu, qui Iesum, atrocissima iamiam subiturum mala, corripuit, proferunt. Math. 26, 39. Luc. 22, 42. Marc. 14, 33. quaeque Iesum in cruce exclamasse dicunt Math. 27, 46. et Marc. 19, 34. Quae Ev. Io. 12, 27. leguntur, non eadem, quae Math. 26, 39. (cf. loc. parall.) enarrat, habenda esse videntur.

17) Nam si ipsi infuisset, quomodo Messiam Davi-

Sunt tamen nonnulla, quae contraria probare videantur. Ioannes Evangelista enim Ioannis Baptistae haec de Iesu servavit verba: *οὗτος ἦν, ὃν εἰπον· ὁ ὀπισω μου ἐρχομενος, ἐμπροσθεν μου γεγονεν· ὁτι πρωτος μου ἦν.* Iam si verba *ἐμπροσθεν μου ἦν* et: *πρωτος μου ἦν* non eodem suminus sensu, sed illa de dignitate Messiae, haec de tempore, praeexistentiam Messiae ideoque diversam ipsius ab humana naturam hoc loco doceri negari non possit. Attamen Ioannem Ev. haecce verba Baptistae attribuisse, quis est, qui contrarium licet probaturus sit, infitietur? Nihilominus tamen verisimilius videtur, Ioannem B., Iesu cognatum et sincerum amicum, iam ab ipso Christologiam accepisse. (vid. inf.) vid Ev. Io. 1, 15. [18]).

Nonne porro, quae apud Io. 12, 34. *ὁ ὀχλος* dicit: *ἡμεις ἠκουσαμεν ἐκ του νομου, ὁτι ὁ*

---

didem poterant exspectare? — Sed etiamsi placitum illud Iudaeorum Christologiae insirendum esset, divinam Iudaeos Messiae tribuisse naturam inde non sequitur.

18) cf. Tholuck Comm. in Io. p. 46.

χριστος μενει εἰς τον αἰωνα — populum Messiae aeternitatem ideoque divinam naturam tribuisse, aperte docent? — Videtur ita se habere — at idem *ὁ ὀχλος* quum alias, quae Iesus de divina sua dicit natura, respuat, aeternitatem Messiae ab eius Deitate (sit venia verbo) Iudaeos seiunxisse probabilius putaverim. Accedit quod hoc in dubium vix poterit vocari, si modo vim vocabulorum *aeternitas*, *aeternum* apud Hebraeos et in lingua hellenistica bene perspexerimus. Quisque enim scit, formulas לעולם, עדי עד non semper sensu metaphysico in V.T. usurpari, sed potius de tempore longiore, indefinito, ut nos quoque dicimus: *das dauert eine Ewigkeit*, raroque cum voce: *immer* notionem aeternitatis metaphysicae coniungimus. cf. Marc. 11, 14. Messiam autem in aeternum victurum esse, facillime ex illis colligi poterat prophetarum effatis[19]) quae regni Messiani iactitant aeternitatem. cf. Luc. 1, 33: *και βασιλευσει* (Messias) *ἐπι τον οἰκον Ιακωβ εἰς τους αἰωνας, και της βασιλειας αὐτου οὐκ ἐσται τελος.*

---

19) *ἠκουσαμεν ἐκ του νομου* — Codicem V.T. integrum saepius *νομον* dici, quisque scit.

Iudaeos Messiam, populum cum Deo reconciliando novum splendoris et felicitatis aevum inchoaturum esse, existimasse, satis inter omnes constat. Iudaicae enim civitati, theocraticae, unica felicitatis conditio Iovae, regis illius invisibilis, cultus erat, isque sincerus ille et verus, non corruptus atque ab idololatria contaminatus. Quod quidem ita esse, historia Iudaeorum luculenter, docet, eoque firmius seriores Iudaei de eo persuasi erant. Quare, quaecunque mala toti populo evenerunt, inde orta putabant, quod Iova, ob cultum, quem ipse instituerat neglectum, a populo suo iratus sese averterit. Quibus malis ut liberarentur bonorumque amissorum ut denuo participes fierent, Iovam sibi reconciliandum esse existimabant, idque non nisi idololatria caeterisque, quae a cultu Iovae aliena erant, abiectis fieri posse persuasi erant. Iudaei igitur, Messiam quum libertatem amissam, tum felicitatem revocaturum sperantes, Iovam ante omnia ipsum esse reconciliaturum persuasissimum habebant. Unde iam in scriptis Apocryphis et N.T. regem et prophetam, βασιλεα et προφητην, πιστον προφητην (1 Macc. 14, 41.) ipsum nominatum videmus. —

Iam vero quaerendum est, quale hoc Mes-

siae munus expiatorium sibi effinxerint, utrum notionem tantum expiationis sacerdotalis, qualem V.T. exhibet, h. e. gratiae divinae recuperationem retinuerint, an Messiam ipsum pro peccatis hominum moriturum esse, Iudaei existimaverint. Cui tamen posteriori sententiae praeter hoc, quod notio expiationis per hominis mortem effectae, in V.T. desideratur, illa quoque, quae supra tetigi, prorsus repugnant. Quid, quod Iudaei Messiam aeterne regnaturum esse arbitrarentur? Luc. 1, 33. Io. 12, 34. quod discipuli populusque Iesum, de morte sua eiusque vi loquentem, non intellexerint, vesanum adeo habuerint? Marc. 9, 32. Luc. 18, 34. Io. 14, 5. 7, 33 et sq. coll. Matth. 16, 22. quod denique post ipsius mortem summo affecti sint stupore? [21]). Nihilominus tamen nonnulla, quae in Evangeliis occurrunt, loca, Iudaeos Iesu tempore viventes Messiam *morte sua* peccata populi expiaturum esse, statuisse, probare videntur. Exstant autem haec loca apud Luc. 2, 35. Io. 1, 29. quibus illa adiicias, ubi Iesaiae cap. 53. ad Iesum allegatum vides.

---

21) vid. *de Wette de morte Iesu Chr. expiatoria.* praec. p. 50 et sqq. cf. *Staeudlini* Commentat. in *Gött. Bibl.* 1, 4, 240. *sqq.*

Lucas, ut eius locam accuratius perscrutemur, in Evangelio narrat, Simeonem, Iudaeum quendam, Mariae benedixisse, dicentem: Iesum multis fore offensioni multosque ipsi se esse oppositurος, qua de re ipsa, mater Iesu, summa afficienda sit tristitia. Nonne, aiunt, hic Iudaeus mortem Iesu expiatoriam innuit? Nequaquam; nam caussa, cur, ut dicit Simeon, *σου αυτης την ψυχην διελευσεται ρομφαια*, verbis antecedentibus (v. 34.) diserte affertur: multos nempe ipsi, Iesu, se oppositurος multosque ipsum Messiam non esse habituros, s. multa omnino eius operi h. e. restaurationi regni Davidici cultusque Mosaici incrementis exstitura esse impedimenta. vid. tamen *de Wette*, p. 52.

Maioris momenti alter locus apud Ioannem esse videtur, ubi Io. Bapt. de Iesu dicit: *Ιδου, ὁ ἀμνος του Θεου, ὁ αἰρων την ἁμαρτιαν του κοσμου.* Quibus quidem verbis (praeter verba: *ὁ ἀμν. τ. Θ.*) quis sensus insit, me minime dubitare fateor. Quid enim, quaeso, verba *ὁ αἰρων — κοσμου* cum Socinianis interpretanti obstat? *qui aufert peccata mundi*, h. e. *qui reconc*[illegible] *est populum Iudaicum.* Reconciliat[illegible] (siquidem non cruentae) notionem a[illegible] gia Iudaeorum alienam non fuisse vi[illegible]

maiorem tamen difficultatem exhibent verba: *ὁ ἀμνος του θεου* — quibus Io. B. ad Iesu mortem expiatoriam respexisse videtur[22]). Hinc autem minime, Iudaeos, Ioannis B. aequales, idem iam habuisse de Messia dogma, aut hoc ipsum vere Iudaicum fuisse, h. e. Iudaeis ante Christum non ignotum, sequi mihi videtur. *Staeudlinus* l. l. sic quidem argumentatur: permultis eorum, qui Ioannis fuerint sodales, Essaeis nempe, notionem illam Messiae, morte sua peccata hominum auferentis, notam fuisse, — Iudaeos igitur non prorsus eam ignorasse. Hoc tamen vix ac ne vix quidem inde concludi posse putaverim. Unde autem Ioanni Baptistae illa notio venerit, qui cum *Gablero*[23]) interrogat, haec respondeas: nonne parentes Iesu Ioannisque amici erant et cognati? cur negas, quod probare nunquam poteris, Iesum Ioannis familiaritate utentem, cum eodem consilium suum communicasse? [24]). Nonne veri-

---

22) cf. Tholuck Comm. in Io. p. 51 - 55.

Gableri ... *in* Io. 1, 29. in eiusd. ...*asch.*

Ges... ...*tench* ... 1, 115 sqq. ... αὐτον

simile est, utrumque per summam vitae partem coniunctum fuisse, etiamsi Essaeos fuisse probari non possit? — *Gablerus* praeterea Ioannem B. mortem Iesu verbis laudatis non innuisse existimat, quia, illam si innuisset, discipuli ipsius, Iesu asseclae facti, (ev. Io. 1, 31.) Iesu morte nullo modo turbati tristitiaque et stupore affecti esse potuissent. Quibus autem hoc opponi potest: Iesum ipsum saepius de morte sua futura coram discipulis loquutum esse, nihilominus tamen discipulos postea summo de ea percussos esse stupore. — Sic dubia remota videri possint: obstat tamen locus apud Matthaeum (11, 1 sq.) quem quomodo cum loco Ioanneo componeret; ipse *de Wettius* se ignorare fatetur. Neque illa loca conciliare eum posse tibi persuadeas, qui verba Ioannis Baptistae ad mortem Iesu expiatoriam referens, Matthaei locum sic interpretatur: Ioannem B., captivum, Iesum ad consilium (h. e. ad consilium, quod Ioannes ipsi tribuerat, regnum scilicet Iudaeorum sibi arrogandi) melius velociusque perficiendum adhortatum esse neque,

---

cum hac sententia conciliantur. vid. ev. Io. 1, 31. 33. Io. enim, se quoque non statim ab initio Iesum verum habuisse Messiam fatetur.

quum opportuum adsit tempus cunctari velle. Quare alterutrum locorum aliter debebis explicare. Iam vero, quidni, quae apud Matthaeum leguntur, sic intelligis? Ioannem discipulos, Iudaicis erroribus obcoecatos, sibique, Iesum verum Messiam declaranti, fidem non habentes, ad illum ipsum misisse, ut persuaderentur. Obstat tamen huic loci explicationi v. 11. eiusdem Matthaei capitis. Quia enim Iesus hoc versu et sequenti Ioannem vituperat, in eo, quod Ioannes discipulos ad ipsum miserit, caussa vituperationis quaerenda videtur. Quare sic locum intelligas: Ioannem Iesum missione illa admonere voluisse, ut consilium (neque aliud, quam quod ipse sibi proposuerat Iesus) velocius graviusque exsequeretur: Iesum autem hanc Ioannis impatientiam atque inopportunum fervorem reprehendisse. V. 12. de vitio hominum dictum putes, quod bona, quae ceperint consilia fervore male sedulo et vehementia minime sapienti semper fere irrita faciant. Cui tamen haec iusto durior videtur explicatio, locusque Matthaei Ioannem veri Iesu consilii ignarum exhibens (neque negem, v. 12. hanc si explicationem sequeris, aptius te posse interpretari) refugiendum est ad eam, quam *Gablerus* protulit loci Ioannei interpretationem: *ecce, agnus Dei, qui patienter fert pravitatem mundi.* Mihi

quidem Ioannem B. mortem Iesu expiatoriam hic innuisse, probabilius videtur. Iesus enim tum ob innocentiam et patientiam, tum ob ipsius mortem expiatoriam alibi quoque *ὁ ἀμνος* dicitur, s. *προβατον.* Act. 8, 32. (coll. Ies. 53, 7.) 1 Petr. 1, 19. cf. Ev. Io. 1, 36. [25])

Iam vero quaeritur, numne ex Ies. cap. 53. ad mortem Iesu expiatoriam allegato, satis iam superque hoc quoque inter Iudaeorum de Messia dogmata fuisse appareat? — Ex iis autem, quae initio tetigi, tales ad sententiam nostram refellendam non valent allegationes, quippe quas non Iudaei, Christi tempore viventes, sed tum Evangelistae, post Iesu tempora, eiusque asseclae, tum caeteri Apostoli adhibuerunt. Locis tamen Evangelistarum huc pertinentibus attentius perlectis, notionem, quam dogma illud exhibet, minime iis inesse, apparet. Nam quod attinet ad locum,

---

25) *vid. N. Th. Iournal* 7, 153. 10, 910. *Herder von Gottes Sohn* p. 126. qui loc. Io. ratione Gableri explicat. *coll. de Wette*, l. l. p. 52. *Bretschneider Dogmatik* 2, 266. De eo, quod oves non victimarum vices egerint apud Hebraeos, quod *αἱρειν* nunquam sit patienter ferre ct. ct. de iisque, quae contraria disputari possunt vid. Intt. ad Io. l. l. inpr. *Lücke* et *Kühnoel.*

qui exstat apud Matth. 8, 17. locus Iesaiae non ad Iesum, peccata populi expiantem, allegatur, sed sensu, qui prodit ex verbis Iesaiae ipsius verbisque versionis Alexandrinae mutatis, ad Iesum τας ἀσθενειας λαβοντα και τας νοσους βαστασαντα, h. e. ex contextu "morbos sanantem et auferentem." Hinc hoc potius apparet, ne Matthaeo quidem sensum loci Iesaiani, quem plurimi ex ipso eruere adhuc conati sunt, notum fuisse. Sic Io. 12, 38. verba nonnulla, quae apud Ies. cap. laud. occurrunt, ad longe aliam rem allegantur, ad Iudaeorum nempe obstinationem. Petrum autem (1 Petr. 2, 22-26.) verba ex capite illo desumta, ad Messiam, mala subeuntem pro hominum peccatis adhibuisse, nolis mirari; — Petrus enim non Iudaeus, sed Christianus pro Christiano dogmate verba illa profert. Caeterum ad nostram sententiam probandam ad Act. 8, 32-35. non licet provocare: non enim de Iudaeo, sed de Aethiope ibi agitur. cf. *de Wette* p. 50. [26]) — ne-

26) De Iesaiae verbis a Marco (15, 28.) prolatis vid. infra. — De toto Iesaiae cap. 53., quod de Messia non agere, iam constat, in N.T. allegato vid. *Ammon Christol. des A.T.* p. 105. 110. Quae *Berth.* aliique de Messia gemino, filio Iosephi et filio Davidis afferant commenta, serioris videntur aetatis, neque a Samaritanis caete-

que, ad eam refellendam, talia loca licet afferre, ubi vel Iesus (Luc. 24, 27.) vel Apostoli (Act. 3, 17. 26, 22. 23. 1 Cor. 15, 3. 1 Petr. 1, 11.) mortem Messiae expiatoriam in V. T. praedictam esse obtinent. De locis, ab Evangelistis ad ipsam allegatis, vid. infr. — cf. *Staeudlin.* l. l. pag. 246.

Restat, ut breviter aliam nonnullorum tangam sententiam, qua, propter multifaria, quae Davides subierat mala, Iudaeos Messiam quoque talia subiturum esse existimasse affirmant, unde facile placitum de morte Messiae expiatoria nasci potuisse dicunt. Iudaeos tamen, quae Messiae se oppositura esse obstacula putabant, (vid. Luc. 2, 34.) ipsum superaturum esse persuasum habuisse, in dubium vocari vix possit, eorum, quae a Messia praeterea exspectabant, ratione habita.

Nequaquam igitur morte expiatoria Messiam Deum reconciliaturum esse putabant; quomodo autem hanc sibi effinxerint reconciliationem, ex iis, quae supra tetigi, colligi potest.

---

ros Iudaeos ista accepisse probabile est. vid. *de Wette*, p. 77. 81. eiusd. bibl. Dogm. l. l. *Gesen.* l. l. sub. finem.

Iudaeos Messiae munus docendi tribuisse vidimus; legem tamen Mosaicam minime ab ipso abrogatum iri iidem existimabant. Quia potius ex neglectis legis divinae praeceptis peccata nasci putabant, malaque, quae sibi accidebant, poenas pro peccatis solvendas habebant, non modo haec, sed illas quoque per Messiam sublatum iri persuasi erant, idque non morte ipsius expiatoria, sed cultu Iovae, vero illo et sincero in aeternum fundato. Hic enim muneris Messiae prophetici erat finis. Hinc ipsum *τον λαον ἀπο των ἁμαρτιων σωζειν* putabant, (Matth. 1, 21.) Eliamque et Messiam populum baptizando peccatis purgaturos et ad cultum Iovae denuo sacraturos esse (Io. 1, 25.). Quare Iesus ipse *πασαν δικαιοσυνην πληρωσαι πρεπον* habens, h. e. quaecunque Iudaei a Messia exspectabant, ut per se rata fiant curans, hunc quoque initiationis subiit ritum (Matth. 3, 15). Nam Messiam ipsum legi Mosaicae subditum fore putabant.

Haec fere, quaecunqee Iudaeorum de Messia fuisse placita Evangelistae nos docent, habenda sunt, quibus haec tantummodo addere licet: Iudaeos Eliam aliumve prophetam Messiae antecessorem habuisse (Matth. 17, 10. 11. ct. (27, 47.) Luc. 1, 16. 17. (9, 30.) Io. 1,

21.) Bethlehemum habuisse urbem, ubi natu-rus sit Messias, Davidides, (Matth. 2, 6. Io. 7, 41. 42.) nonnullis tamen, unde venturus sit, incertum declarantibus (Io. 7, 27. 1, 52.); unde tamen minime concludi potest, Iudaeis haec tantummodo de Messia fuisse dogmata, licet hoc negare non possis, quae praeterea ipsis tribui solent placita, ipso iam Iesu tempore iisdem fuisse, ex Evangeliis vix posse probari.

Quod primum ad distinctionem illam inter tempus ante et post Messiam attinet, ex rei ipsius natura ortam esse apparet; Iudaeosque ante Christum viventes, suum, quo vixerint, aevum Messiano proximum habuisse vel appellasse, non est quod negem. Vocabulis autem: *ὁ αιων οὑτος*, et: *ὁ ἐρχομενος*, ipso iam Iesu tempore vim *temporis ante et temporis post Messiam* infuisse, dubitari possit. Vocabulum *αιων* enim in N.T. de quovis tempore indefinito usurpatur, ideoque, accuratius definitum, de quavis circumscripta temporis periodo. Quare *ὁ νυν αιων*, *ὁ αιων οὑτος* opponitur *τῳ αιωνι τῳ μελλοντι*, huius nempe vitae tempus tempori vitam hanc excipienti. Matth. 12, 32. Mr. 10, 30. Luc. 18, 30. 20, 35., saepiusque *ὁ νυν αιων* de vitae huius hoc seculo dicitur. Matth. 13, 32. et saepius, sive de

tota hac vita. Inde συντελεια, τελος του αιωνος, s. του αιωνος τουτου est finis huius temporis, h. e. huius vitae. Sic Matth. 13, 39. (40. 49.) ὁ Θερισμος ἐστι συντελεια του αιωνος. — Iudicium enim Iesus post hancce vitam se habiturum esse docuit. — cf. Matth. 28, 20. ubi συντελεια του αιωνος i. q. πασαι ἡμεραι. Matth. 24, 3. συντελειαν τ. αἰων. ἡ παρουσια [27]) excipere dicitur. In Evangeliis την συντελειαν του αιωνος tanquam futuram exhiberi apparet, quam iam factam esse ex Ep. ad Hebr. 9, 26. 1 Cor. 10, 11. prodit. Seriores autem Iudaei tempus, veri Messiae regnum antecedens, עולם הזה nominabant, alteramque periodum post Messiae adventum, עולם הבא.

Quod deinde ad signa, σημεια, adventum Messiae antecedentia attinet, quae et qualia Iudaei Iesu tempore exspectaverint, incertum est. Iesus quidem talia την παρουσιαν antecessura esse docet, tempora nempe angustiora, quae

---

27) vid. Io. 16, 17. ubi Iesum de παρουσια sua loquentem discipuli non intelligunt, dicentes: τι ἐστι τουτο ὁ λέγει ἡμιν· Μικρον και ου Θεωρειτε με· και παλιν μικρον, και ὀψεσΘε με; — Christianum igitur placitum de παρουσια Messiae videtur.

ὠδῖνας nominat (Matth. 24, 8.) unde seriores Iudaei dogma de חבלים effinxisse videntur.

Quae praeterea Iudaeorum Christologiae inseruntur dogmata, num Iudaei Iesu tempore habuerint, ex Evangeliis vix probari possit. Ex paucis illis tamen, quae certo temporis spatio circumscripta dicere licet, alia, quae quando orta sint, incertum est, diiudicari posse videntur. Sic quonam tempore liber Henocho adscriptus sit confectus, incertum adhuc videtur. Haec autem in ipso de Messia exhibentur: gravissima ipsum antecessura esse tempora, — apud Deum eum versari, donec ad homines venerit, — nomen eius fore filium Dei, filium hominis, filium feminae, — ad homines descensurum ipsosque sapientiae divinae mysteria edocturum — reges terrae expulsurum novumque, peccatoribus in orcum deiectis, aevum inchoaturum esse, quo, Messia in aeternum regnante, pii aeterna gavisuri sint felicitate. — Nonne Christiana hic cum Iudaicis coniuncta videntur? — 28)

28) Similia lib. IV. Esrae de Messia exhibet, — uterque tamen liber quia de morte Messiae expiatoria nihil addit, verisimile tantum putaverim, librum Pseudohenoch. post Iesu tempora confectum esse. Hoc certum videtur, ante Hiero-

Quae Iudaeorum Iesu tempore de Messia fuerint placita, ex Evangeliis hactenus pro viribus eruère studui. Manca autem esse et parum docta, quae protuli, optime video; meliusque fortasse rem meam absolvissem, si, quaecunque a viris doctis de ea scripta sunt, adire licuisset [29]).

Evangelistas praeter Iudaica de Messia placita Christiana quoque de eodem dogmata exhibere, locaque N.T. vel vere Messiana, vel ad Messiam relata pro utrisque proferre, quisque videt. Iam vero V.T. loca quae recentiora quaeque antiquiora de Messia dogmata spectant, eodem modo ab Evangelistis semper esse allegata, verisimile non videtur. Adeamus igitur altera dissertatiunculae parte, quae quidem arcte cum priori cohaeret, allegationes locorum V.T. Messianorum in Evangeliis obvias.

---

solyma diruta ortum esse: Iudaeorum enim in eo allegorice narratur inde a primis temporibus historia; — de Hierosolymis dirutis nil refertur, quare Iudas librum adire iam potuit.

29) *Bengel, an Iudaei apostolis antiquiores iisque aequales naturam humana maiorem in Messia apparituram, in Messia praestolati sint* — *III. progrr.* Tubing. 1822. et all. quae supra allegavi, de re nostra scripta. cf. *Kaiser, bibl. Theologie* 1, 213 -22.

Allegationum, quae in Evangeliis occurrunt, alias textui originali, unde desumtae sunt, aliis similiores esse, quisque videt. Iam quaeri possit, utrum allegationes, dogmata Messiana, supra exposita, Iudaeorumque ante Iesu tempora viventium Christologiae vindicata, spectantes, memoriter sint recitatae, ab iisque, quae recentiora tangunt de Messia dogmata diversae? Autores, fortasse respondebis, Novi Testamenti non amplius Iudaeos, sed Christianos habendos esse, qui dogmatibus Christianis imbuti et initiati, V.T. locos, illa spectantes, memoria recolere potuerint. Est ita; — neque tamen quum de Evangelistis tantum agam, inter ipsas illorum allegationes magnam conspicuam esse dissimilitudinem, negabis. Quae quidem, num ratione modo allata explicari possit, periclitari, operae saltem pretium est. Non enim verisimile putaverim, Evangelistas caeterosque Christi primis temporibus asseclas, locos V.T., quae recentiora habenda sunt de Messia dogmata, spectantes, simulac Christiani facti sint, veluti spiritu sancto adiuvante, memoriter recitasse. Accedit, quod Evangelistae vel infimi ordinis, vel indocti erant homines, qui, quacunque V.T. effata memoria recolebant, non studio et labore, qualem litterati adhibent, sed ultro memoriae inculcaverant. Neque quod de plebe

nostrae aetatis desumere solent exemplum mihi adversatur. Permultos quidem nostri aevi homines indoctos potiora dogmata Christiana locis e codice sacro desumtis probare posse — non est, quod negem. Quis autem opinetur, plebem huius seculi pro placitis Socinianorum vel Rationalistarum dicta probantia illico memoriter posse afferre? nam recentioris familiae, ut ita dicam, Iesus quoque erat autor.

Priusquam tamen his, quae adhuc tetigi, plura addam, unde hauserint Evangelistae allegationes, dicendum est: qua quidem iure Matthaeum primum et vel maxime aditurus sum, tum quia caeterorum Evangelistarum eaedem fere sunt allegationes; tum quia Matthaeum in recitandis V.T. locis versionem LXX. sequutum esse, sunt, qui negent. Quid? quod eorum sententia, nonnullas Matthaei allegationes si urgemus, admodum probabilis videtur?

Nihilominus contrarium verisimilius est, nisi fortasse ad *Surenhusii* aliorumque refugere malis argumenta, quibus priorem defendunt sententiam: "quis unquam crediderit, Matthaeum, virum divino spiritu afflatum et toties admirabile quod lumen e tenebricosis prophetarum locis producentem, septuagintaviralem ver-

sionem exscripsisse, quae tantum ab ipso distabat, quantum lumen a tenebris, N.T. a Vetere, et spiritus a litteris." — et "ubi Matthaei verba consentiunt cum versione LXX.. id non studio et imitatione, vel descriptione, sed casu; vel ut secundum Dei verbum loquar, divino ita dictante spiritu ita factum est." *vid. Surenhusii βιβλ. καταλλαγης.* p. 179. 187. Idem saepius affirmat, Evangelistas Demosthene elegantius scripsisse.

Allegationes Matthaei partim consentiunt cum textu hebraico et versione Alexandrina, verbotenus hanc quippe sequentes, partim discrepant ab utroque, partim, versionem Al. sequentes, abhorrent a textu originali. Verba tamen hebraica, a versione Alex. discrepantia, nunquam sequuntur.

1. Evangelista et cum verbis hebraicis et cum versione LXX. in locis V.T. recitandis consonans, aut ipse textum hebraicum vertit, aut graecum sequutus est (utrum memoriter, annon, infra videbimus). Iam vero, si vertit, quomodo fieri potuit, ut verbotenus cum versione Alexandrina consentiret?

Matth. 5, 38. coll. Exod. 31, 24.
— 19, 18. — Lev. 19, 18. cf. Matth. 22, 39.
— 21, 16. — Ps. 8, 3.
— 21, 42. — Ps. 118, 22.
— 22, 44. — Ps. 110, 1.

2. Si invenerimus, allegationes nonnullas una cum versione Alex. iisdem verbis a verbis hebraicis discrepare: Matthaeum non haec, sed illam sequutum esse, luculenter apparebit [30].

Matth. 13, 14-16. coll. Ies. 6, 9-11.

Versio Alexandrina et Matthaeus Perfectum Pass. ἐπαχυνϑη posuerunt pro Imperativo — pro 3 singul. 3 plural. ἤκουσαν, ἴδωσι — pro: ut sanetur sc. populus — και ἰασωμαι αὐτους.

Matth. 27, 35. (cf. Io. 19, 24.) — coll. Ps. 22, 19.

In textu hebraico pro tempore praeterito tempus futurum positum est.

Praeterea illa huc pertinent allegationes, quae penitus cum vers. Alex. non quidem consonantes, plura tamen ex ea desumserunt, quae in textu hebraico vel desiderantur, vel aliter sunt expressa.

---

30) Vid. *Hug. Einl. in's N. T.* 2. pag. 50. seq. ed. 3.

Matth. 3, 3. coll. Ies. 40, 3. Matthaeus cum vers. Alex. ἐν ἐρημῳ ad antecedentia, textus hebr. ad sequentia refert. Attamen dubium est, num verba ἐν ἐρημῳ aptius ad proxime antecedentia, quam ad sequentia referenda sint, interpunctione neque a τοῖς ό neque a Matthaeo ipso addita. Differt Matth. ab illis nonnisi in verbis: του κυριου, pro: του Θεου ἡμων. cf. Luc. 3, 14. vid. inf.

Matth. 4, 4. — coll. Deut. 8, 3. Vox: ῥημα, quam addunt οἱ ό et Matthaeus, desideratur in textu hebraico.

Matth. 4, 10. — coll. Deut. 6, 13. μονῳ deest verbis hebraicis.

Matth. 15, 9. ἐγγιζει μοι ὁ λαος ct. ct. coll. Ies. 29, 13. (Marc. 7, 6. οὗτος ὁ λαος τοις χειλεσι ct.) Autores versionis Alexandrinae sensum loci servantes, verba mutaverunt. Nam ματην deest textui hebr., item διδασκοντας; ויראתם אתי vertunt per: σεβονται με. מלמדה per διδασκαλιαι. Matthaeus (et Marc.) in cunctis his versionem LXX. sequutus est.

Matth. 19, 5. coll. Gen. 2, 24., ubi pro שניהם autores LXX. et Matthaeus: οἱ δυο — pro אחד posuerunt μια σαρξ.

Matth. 21, 42. coll. Ps. 118, 22. ubi זאת et היא, ex idiomate hebraico pro neutro οἷ ὁ vertunt αὕτη, ad κεφαλην γωνιας pronomen referentes. Item Matth. et Marc. 12, 10. 11. Lucas ultima verba omisit.

3. Matthaeum in recitandis locis V.T, verba hebraica, neglecta versione Alexandrina, non sequutum esse, supra monui. Mei iam est, hoc probare; exstant enim nonnullae allegationes, quae ex textu hebraico recitatae videantur.

α.) Matth. 2, 15. *ἐξ Αἰγυπτου ἐκαλεσα τον υἱον μου.* Quia eadem sex verba leguntur apud Hoseam (11, 1.), inde Matthaeum, versionem Alexandrinam negligentem, ista sumsisse dicunt. Iam vero, quid est, quod nos cogat, Hoseae illa verba habere, praesertim quum Matthaeus nomen *του προφητου* non addiderit? Non alia exstat caussa, nisi, quod eadem occurrant in Hoseae vaticiniis. Quodsi tamen ex analogia caeterarum allegationum haec quoque explicanda est, (aliter si explicari potest), Matthaeum verba ista neque ex Hosea neque ex alio quodam sumsisse propheta verisimilius est. Teneamus semper necesse est consilium quum omnium scrr. ss., tum Matthaei potissimum in

recitandis V. T. locis. Matthaeus, intimum inter historiam Iudaeorum antiquam et recentissimam connexum explicandi cupidus, Iesu in Aegyptum fugam reditumque felicem enarrans, reditus Israelitarum ex Aegypto recordatur, qui, tanquam summum Dei in ipsos amoris testimonium, cuiuscunque memoriae inhaerebat, neque minus Dei in Israelitas amoris testimonium in simili Iesu sorte, qua Herodis feliciter evitaverat insidias, patefactum videt. Quare locum quendam, et illam populi totius et Iesu sortem spectantem, recitat, eademque hic uti videtur allegandi ratione, quam sequitur cap. 2, 23. ubi verba quaedam Prophetae cuidam attribuit, quae nusquam reperiuntur. Quare eadem in Hosea occurrere verba, casui potius tribuendum videtur [31]).

---

31) Caeterum populum Israeliticum in V.T. saepius filium Dei nominatum videmus. cf. Ex. 4, 22. 33. — Hieronymus locum ex Num. 23, 26. allegatum esse affirmat. Nonnulli verba Hoseae l. l. vertunt: in Aegypto iam filium meum ipsum appellavi. Attamen קְרָאתִי לִבְנִי est: vocavi filium meum, neque i. q. קְרָאתִי לוֹ בְּנִי. vid. Boeckel, V. S. V., Hoseas p. 97.

β) Matth. 8, 17. coll. Ies. 53, 4. 5. Hic Matthaeum non solum versionem Alexandr., sed verba hebraica quoque deseruisse, supra monui. Inde tamen cum Eichhornio[31]) concludere non licet, Matthaeum verba hebraica mutavisse, ipsumque, versione Alexandr. neglecta, textum hebraicum vertisse.

γ) Matth. 9, 13. ἐλεον θελω και οὐ θυσιαν coll. Hos. 6, 6. ולא - LXX: ἡ θυσιαν. Hoc prophetae effatum si Matthaeus ex ipso textu originali vertisset, mirum esset, una cum versione Alexandr. vocabulum חסד pro ἐλεος ipsum accepisse. Quare versionem Alexandrinam sine dubio animo habuit. Memoriter autem hunc locum recitans, duriorem constructionem (θελω ἡ, pro: malo) relinquens, nil nisi copulam posuit cum negatione coniunctam.

δ) Matth. 27, 9. Hunc versum ex Zacharia adhibitum esse dicunt (11, 13. 14). Deest tamen sufficiens caussa, cur pro: Ieremias legamus: Zacharias, seu Matthaeum falsi arguamus. Nam neque in Zachariae, neque in Ieremiae, ad quem provocant locum, *omnia* Matthaei ver-

---

31) *Eichhorn* in: *allgem. Bibliothek der bibl. Litt.* 2, 6, 973.

ba quadrant. In utroque tot verba cum illis consonant, quot ab iis discrepant. (vid. Ierem. 32, 6.) Ex ipsis tamen utriusque loci, Zachariae et Ieremiae, verbis cum Matthaei allegatione collatis, locum Ieremiae memoria ipsum recoluisse patet. Nam *ἀγρος* apud Ieremiam legitur, apud Zachariam desideratur. Iam hic quidem יוצר occurrit, quod Matth. false vertisse dicunt per *κεραμευς*, ideoque, neglecta versione Alexandrina, textum originalem sequutum esse. Sed figulus non est allegationis cardo, ut ita dicam, sed potius *ὁ ἀγρος*[32]).

e) Math. 27, 46. *Eli, Eli, lama* ct. Hic Matth. Iesu ipsissima verba refert et graece

---

32) Spiritus s. Matthaeo prophetae nomen aperuit, ut autoritati Ieremiae labefactatae et sensui illius prophetiae consuleretur. Ex discrepantia autem Matthaei et versionis Alex. patet, Matthaeum spiritus divini instinctum fuisse sequutum. vid. *Surenhus.* p. 189. Ecce novum pro inspiratione argumentum. cf. *Hug, Einleitung* 2, pag. 59. qui Matthaeum locum Zachariae animo habuisse probare studet. Alii Evangelistam ex libro quodam Ieremiae apocrypho verba allegasse putant, quae quidem Hieronymi sententia est. cf. *Eckermann* in: *theol. Beiträge* 1, 1, p. 132.

vertit. Quam quidem Matthaei versionem si contulerimus cum Alexandrina Ps. 22, 1. utramque a se invicem discrepantem videmus. Matthaeus hic autoribus LXX. non dictantibus, vertit, terque ab iisdem discedit.

Reliquas Matthaei allegationes, neque cum verbis hebr. neque cum versione Alex. consonantes, sigillatim afferre operae pretium non est, quippe quae per se spectatae nostram sententiam probare non possunt, etiamsi ex vers. *των* LXX. eas fluxisse negari nequeat. Vidimus enim, allegationum supra allatarum alias verbotenus cum versione Alex. et textu hebr. consonare, alias, hoc neglecto, illam sequi, neque quae versione Alex. neglecta textum originalem sint sequutae, vere exstare.

Iam apud me erit, ex ipsis Matthaei allegationibus cum vers. Alex. collatis, quae memoriter, quaeque non memoriter sint prolatae, colligere. Ad res ipsas, quas tangunt, si respexerimus, illas (memoriter nempe recitatas) quae Evangelistae memoria poterant recolere, has (memoriter non prolatas) recentiora plerumque, quae per Christianismum advenerant, spectaturas videbimus. Memoria quidem quisque Iudaeorum poterat recolere locos V.T., dogmata de Messia, qualia supra exposui, neque non

praecepta moralia et ritualia spectantes; nequaquam autem eodem modo semper afferre poterant V.T. locos, dogmata de Iesu Messia, recens Christologiae addita, probantes.

Primum igitur de allegationibus, memoriter prolatis, acturus, hoc statuo:

1) Ex ipsis cum versione Alex. collatis, suam ipsas originem e memoria ducere apparere.

2) res, quas spectent, Evangelistis, Iudaeis, non fuisse ignotas, quarum aliae leges ceremoniales et morales, aliae dogmata Messiana vere Iudaica, neque Christiana tangunt. De singulis igitur singula illa spectantibus allegationibus iam breviter agendum erit [33].

---

33) De allegationibus Messianis praecipue mihi agenti, allegationes res historicas tangentes, quae, etiamsi Iudaeis, priusquam vere evenerint, ignotae erant, memoriter sunt recitatae, non adversantur. cf. caeterum *Surenhus.* p. 170. ubi haec leguntur: "qui credit, scriptores ss. memoriter V.T. allegasse, valde periculosus est, nam tum N.T. fides atque autoritas pene collaberetur et illius nulla prae aliis autoribus profanis esset excellentia". — In examinandis Evangelistarum allegationibus, inter illas quas Iesus, quasque Iudaei et Evangelistae ipsi adhi-

1. Iesu doctrina, omnibus foedis istis, quae V.T. inhaerent, purgata, nihilominus nil continet a V.T. praeceptis prorsus alienum, optima veteris doctrinae retinens, quaeque haec obiter tantum tetigerat, fusius saepe exponens, quaeque perversa tanquam summam doctrinae iactaverat, legem inquam ceremonialem, prorsus abrogans. Iam vero, quia purioris huius doctrinae in Prophetarum praecipue libris vestigia latent, ut, veluti ipsis Prophetis, Iudaei illa imbuerentur, scopus erat Iesu eiusque legatorum. Nam sic eo facilius unicum, quod sibi proposuerat Iesus, consilium, mores nempe popularium emendandi, sanctaeque vitae rationem ipsos edocendi, consequi poterat, quia Prophetarum aliorumque scriptt. ss. effata Iudaeorum a teneris iam inculcata erant animis; qui tamen oppressi adhuc tenebantur *ταις ἐντολαις του νομου.* Quibus ut tandem aliquando liberarentur foedae servitutis vinculis, hoc etiam doctoribus Christianis erat agendum, ut leges ceremoniales emendarentur, illustrarentur, prorsus adeo tollerentur. Atque has quoque, in Synagogis saepissime recitatas, Iudaeorumque ani-

---

buerint, distinguendum non erit. Cunctae Evangelistarum sunt habendae.

mis a teneris impressas, facillime memoria recolere poterant. Quare Matthaeus etiam V. T. loca, illas spectantia, memoriter recitare poterat.

Iam a posse ad esse non valet quidem consequentia, neque ex eo, quod Matthaeus istiusmodi locos memoriter allegare poterat, vere eum sic allegasse consequitur. Verisimilis tamen est haec consequentia, veramque esse ex ipsis apparebit allegationibus.

Primum locos enumerabo, quos memoriter esse allegatos, nemo negabit. Matth. 5, 21. coll. Ex. 20, 3. ubi hemistichium additum est. 5, 31. ubi argumentum verborum Deut. 24, 1. neglectis verbis ipsis expressum invenies. Idem occurrit c. 5, 33., coll. Exod. 20, 3. — 5, 43. ubi hemistichium est additum verbis, quae legis Lev. 19, 18. — 19, 18. ubi series verborum prorsus diversa ab Exod. 20, 12. — 22, 24. ubi argumentum tantum eorum, quae leguntur Deut. 25, 5. v. 37. ubi verba mutata sunt. coll. Deut. 6, 5.

Iam conferas locos parallelos caeterorum Evangeliorum. Quoscunque una cum Matthaeo recitant V. T. locos, summo arbitrio variant, a textu originali similiter discrepantes. Nam quos

Matthaeus a versione Alexandrina abhorrentes memoria recolit, illi similiter adhibent, discrepantes modo a Matthaeo, modo a se invicem. cf. Matth. 22, 24. Marc. 12, 19. Utriusque verba in eodem loco allegando sibi sunt dissimillima. Lucas (20, 27.) cum neutro consonat. Matth. 22, 37. coll. Marc. 12, 29. Luc. 10, 27. — cf.; praeterea Luc. 2, 23., ubi argumentum tantum reperitur loci allegati ex Exod. 13, 2. — cf. Matth. 22, 32. (Luc. 20, 37. Marc. 12, 26,)

Allegationibus argumenti moralis adnumeres locum apud Matth. 21, 13. ubi prophetae, depravatum Iovae cultum reprehendentis recitantur verba, quorum alia apud Ies. 56, 7. alia ib. 7, 11. occurrunt. Ipsa autem Matthaei verba manca sunt verbisque Prophetae dissimilia. Marcus similiter allegat loca laudata, adiectis tamen, quae omiserat Matthaeus. Lucas pro: κληθήσεται ponit: ἐστι. cf. Marc. 11, 17. Luc. 19, 46. Similem Iesaiae locum (6, 9-11.) Marc. 4, 12. Io. 12, 40. cf. Luc. 8, 10. memoriter adhibent: Matthaeus autem (13, 14.) verbotenus vers. Alex. sequitur. Saepius Matthaeum sequuntur: vid. Matth. 4, 7. (Luc. 4, 12.) Mt. 4, 10. (Luc. 4, 8.) Mt. 19, 5. (Mr. 10, 7.) Mt. 19, 18. (Luc. 18, 20.) — Leguntur qui-

dem, quae verbotenus cum versione Alexandrina congruant, tam paucis autem constent verbis, ut vel seriem ipsorum memoria pro lubitu recolere possit. Nam sic et nostrae aetatis homines indocti breviora codicis s. effata ad verbum saepissime memoriae inculcaverunt. cf. Mt. 5, 38. (Exod. 21, 24.) ὀφθαλμον ἀντι ὀφθαλμον και ὀδοντα ἀντι ὀδοντος. — 19, 19. ἀγαπησεις τον πλησιον σου ὡς σεαυτον (Lev. 19, 18.) Sic quoque, quae paullo pluribus constant verbis, adagia facta videntur, quae tamen verbotenus cum V.T. non consonant. cf. Mt. 19, 5. (Gen. 2, 24.) ubi levis variatio. cf. Marc. 10, 7. — Mt. 4, 10. (Deut. 8, 13.) ubi singul. pro plurali. — Mt. 22, 32. (Exod. 3, 6.) ubi articulus additus est. Cf. locos parallelos.

2. Hoc praeterea primis doctoribus Christianis iisque praecipue, qui Iudaeorum exstiterant magistri, agendum erat, ut Iesum verum esse Messiam ex V.T. probarent vaticiniis, Prophetarum aliorumque scriptorum ss. effata vel revera Messiam spectantia, vel ad Messiam relata allegantes. Qua de re Matthaeus, Iudaeis Evangelium suum destinans, ubicunque potest, ad ea, quae de Iesu narrat, vera probanda, ad V.T. provocat et saepius quidem provocat reliquis Evangelistis. Matthaei igitur inprimis exa-

minabo allegationes Messianas, quarum alias memoriter, alias non memoriter esse recitatas ex ipsis cum versione Alex. collatis apparet. Dogmatum denique Messianorum, quae spectant, natura, cur alias aliter adhibuerit docebit.

a. Allegationes locorum V.T. Messianorum memoriter prolatae talia spectant de Messia placita, quae Iudaeorum ante Christum ipsiusque tempore viventium Christologiae infuisse, supra vidimus.

α) Math. 2, 6.	cf. Mich. 5, 1.
και συ Βηθλεεμ γη Ιουδα, οὐδαμως ἐλαχιστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμοσιν Ιουδα· ἐκ σου γαρ ἐξελευσεται ἡγουμενος ὁστις ποιμανει τον λαον μοῦ τον Ἰσραηλ	και συ Βηθλεεμ, οἰκος Ἐφραθα, ὀλιγιστος εἶ τοῦ εἰναι ἐν χιλιασιν Ἰουδα· ἐκ σου μοι ἐξελευσεται τοῦ ἐιναι εἰς ἀρχοντα τοῦ Ἰσραηλ.

Iudaeos Messiam, Davididem, Bethlehemi natum iri putasse, apparet ex Io. 7, 42. cf. supra Loco Ioanneo Iudaei ipsi ad Prophetae locum, hic allatum, respiciunt. Hieronymus, verisimile quidem habens, scriptores ss. memoriae credidisse in allegandis V.T. locis, hocce Michae effatum ideo a Matthaeo sic recitatum putat, ut Pharisaeos, V.T. contextum sensumque verbalem negligentes, castigaret Evangelista.

β) Math. 4, 15.
Γη Ζαβουλων και γη Νεφθαλειμ, ὁδον θαλασσης περαν τοῦ Ἰορδανου, Γαλιλαια τῶν ἐθνων, ὁ λαος ὁ καθημενος ἐν σκοτει, εἰδε φως μεγα, και τοις καθημενοις ἐν χωρᾳ και σκιᾳ θανατου, φως ἀνετειλεν αὐτοις. cf. Luc. 1, 79.

cf. Ies. 9, 1.
Ταχυ ποιει χωρα Ζαβουλων ἡ γη Νεφθαλιμ και οἱ λοιποι οἱ την παρα λιαν και περαν του Ιορδανου Γαλιλαια των ἐθνων. Ὁ λαος ὁ πορευομενος ἐν σκοτει, ἰδετε φως μεγα, οἱ κατοικουντες ἐν χωρᾳ σκιᾳ θανατου, φως λαμψει ἐφ' ὑμας.

Spei Messianae hanc fuisse summam, fore ut populo Iudaico feliciora contingant tempora, non est, qui neget. Quam quidem spem in loco Iesaiae, a Matthaeo allegato, expressam videmus, ubi *φως*, *σκοτος* metaphorice pro vocabulis: *felicitas*, *mala* dicta sunt. Populum contemtum gloriam aliquando assequuturum esse Iudaeis sperantibus, Matthaeus h. l. Galilaeae praecipue laetam hanc sortem contigisse dicit, quippe quae a reliquarum stirpium Iudaeis parvi habebatur adeoque contemnebatur. Io. 1, 46. 7, 52. Math. 26, 89.

γ) Mth. 11, 10.	cf. Mal. 3, 1.
Ἰδου, ἐγω ἀποστελλω τον ἀγγελον μου προ προσωπου σου, ὁς κατασκευασει την ὁδον σου ἐμπροσθεν σου. cf. Luc. 7, 27.	Ἰδου, ἐξαποστελλω τον ἀγγελον μου και ἐπιβλεψεται ὁδον προ προσωπου μου.

Iudaei Eliam aliumve prophetam Messiam antecessurum esse, putabant. vid. supr. Matthaeum in allegando sequutus est Marc. 1, 1. (cf. Luc. 1, 17. 76.) qui tamen Iesaiae verba illa habet.

δ) Mth. 12, 10-21.	cf. Ies. 42, 1.
Ἰδου, ὁ παις μου, ὁν ᾑρετισα· ὁ ἀγαπητος μου, εἰς ὁν εὐδοκησεν ἡ ψυχη μου· θησω το πνευμα μου ἐπ᾽ αὐτον, και κρισιν τοις ἐθνεσιν ἀπαγγελει. — Οὐκ ἐρισει, οὐδε κραυγασει, οὐδε ἀκουσει τις ἐν ταις πλατειαις την φωνην αὐτου — Καλαμον συντετριμμενον οὐ κατεαξει, και λινον τυφομενον οὐ σβεσει· ἑως ἀν ἐκβαλη εἰς νικος την κρισιν. — Και τῳ ὀνοματι αὐτου ἐθνη ἐλπιουσι	Ἰακωβ, ὁ παις μου, ἀντιληψομαι αὐτου. Ἰσραηλ ὁ ἐκλεκτος μου, προσεδεξατο αὐτον ἡ ψυχη μου, ἐδωκα το πνευμα μου ἐπ αὐτον, κρισιν τοις ἐθνεσιν ἐξοισει. — Οὐ κεκραξεται, οὐδε ἀνησει, οὐδε ἀκουσθησεται ἐξω ἡ φωνη αὐτου. — Καλαμον τεθλασμενον οὐ συντριψει και λινον καπνιζομενον οὐ σβεσει, ἀλλα εἰς ἀληθειαν ἐξοισει κρισιν. — Ἀναλαμψει και οὐ θραυσθησεται, ἑως ἀν θη ἐπι της γης κρισιν, και ἐπι τῳ ὀνο-

ματι αὐτοῦ ἐθνη ἐλπιουσιν [34]).

Iesaias cap. laudato fidelem laudat Dei servum, spemque futurae populi vindicationis addit. Iam vero ipsius conditionem cultus divini restaurationis a Iudaeis Iesu tempore viventibus habitam esse, supra vidimus. Quare quae Prophetae, Messiae quoque tribuebant: omnes virtutes spiritumque divinum. vid. supra.

ε) Mth. 21, 5.	cf. Zach. 9, 9.
Ἰδου ὁ βασιλευς σου ἐρχεται σοι πραϋς, και ἐπιβεβηκως ἐπι ὀνον και πωλον, ὑιον ὑποζυγιον	Ἰδου, ὁ βασιλευς ἐρχεται σοι δικαιος και σωζων, αὐτος πραϋς, και ἐπιβεβηκως ἐπι ὑποζυγιον και πωλον νεον.
cf. Io. 12, 15.	
Ἰδου ὁ βασιλευς σου ἐρχεται, καθημενος ἐπι πωλον ὀνου.	

Messias ex Christologia Iudaeorum victor et vindex sempiternae habebatur pacis, atque hoc inest verbis ἐπιβεβηκως ἐπι ὀνον και πω-

34) Vid. *Hug. Einleitung* 2, pag. 60. qui caussas, cur Matth. a versione Alex. in allegando hoc loco discesserit, eruere studuit.

λον etc. ita ut nequaquam Messiae humilitas hic innuatur. Nam asinus h. l. equo opponitur, ut pax bello cf. Deut. 17, 18. 2 Sam. 8, 4. Quare locum Zachariae Iudaicum de Messia dogma continentem Matthaeus memoria poterat recolere et recoluit; neque quae in Evangelio Ioannis (12, 16) legimus, nobis obstant, ubi discipulis hoc de Messia vaticinium initio in mentem non venisse narratur [35]). cf. tamen *de Wette* comment. p. 75.

ζ) Huc praeterea referas quae Angeli et Mariae Lucas servavit verba (Luc. 1, 31 — 33. coll. v. 46 — 55) e variis V.T. locis depromta summoque arbitrio mutata. Talia in iis de Messia praedicata sunt, qualia Iudaeorum Christologiae infuisse vidimus.

η) Luc. 1, 68 — 79. verba affert Zachariae, quibus Deum laudaverat. Memoriter hic plura V. T. effata recitantur (Ps. 106, 10 cf. Luc. 1 71. — Ies. 8, fin. — v. 79. Ier. 31, 34. cf. v. 77. ct.) quae Iudaeorum de Messia spectant opiniones et spes.

---

35) Huc referri potest Matth. 8, 17. de qua allegatione vid. supra.

b. Allegationes locorum V. T. Messianorum[36] memoriter non prolatae talia plerumque spectant de Messia placita, qualia a Iudaeorum ante Iesu tempora viventium Christologia aliena fuisse supra vidimus.

α) Matth. 1, 23.
'Ιδου, ἡ παρθενος ἐν γαστριἕξει, και τεξεται ὑιον, και καλἐσουσι τὸ ὀνομα αὐτου 'Εμμανουηλ.

cf. Ies. 7, 14.
Οἱ δ pro ἑξει posuerunt ληψεται, et pro καλεσουσι — καλεσεις.

Iudaeos Messiae humanam tribuisse naturam, ex iis, quae supra dixi, apparet, unde, Iudaeos Messiam modo non mirabili natum iri putasse concludi posse videtur. Quia tamen Simsonem (Iud. 13, 1 seqq.) et Ioannem (Luc. 1), quibus humanam tantum vindicabant naturam, simili modo natos habebant, conclusionem nostram falsam dicere licet. Nihilominus, an Iudaei Messiam modo insolito natum iri putaverint, locumque Iesaiae ad illum retulerint, valde dubitandum est. Praeterea enim, quod nullum pro hac sententia in Evangeliis exstet argumentum, locusque Iesaiae de Messia non agat, quia caeteri, qui electi habebantur a Deo (Davides,

36) s. potius: ad Messiam relatorum.

prophetae, reges,) modo non insolito nati putabantur, tale quid cunctis a Deo electis, ideoque etiam Messiae, tanquam signum autoritatis, Iudaei tribuisse non videntur. Quare, quo Iesus natus est, modus res historica habenda est, locusque Iesaiae post eventum, ut ita dicam, ad illum allegatus. Quod quidem Iesaiae vaticinium (si sic dicere fas est,) quia vaticinium esse per Iesum demum Matthaeus erat edoctus, caeteraque huiusmodi V. T. loca memoriter recitata dicere non licet. Omnia verbotenus cum textu originali, versione scilicet Alexandrina, consonantia ab Evangelistis non quidem sunt prolata, sed consilio nonnulla mutata sunt verba, et ita quidem, ut ex memoriae vitio ipsa fluxisse, vix dicere possis. Nam nostro loco ἔχειν ἐν γαστρι ἐκ πνευματος ἁγιου aliud est, quam λαμβανειν ἐν γαστρι, concipere (coitu), quo sensu in Iesaiae l. l. sumitur. Quod quidem Matthaeus in formulam: ἔχειν ἐν γαστρι bene mutavit. cf. Matth. 1, 18. ἐχουσα ἐκ πνευματος ἁγιου. Pro καλεσεις autem καλεσουσι posuit Matthaeus, quia hic non proprie sermo est de nomine inferendo, ut in loco Iesaiae et Matthaei versibus proximis: καλεσεις το ὀνομα αὐτου Ἰησουν; sed καλεσουσι αὐτον Ἐμμανουηλ dictum est pro: filius tuus ita segeret, ut Immanuel dici possit; neque tu solum, sed om-

nes talem ipsum habebunt, qualem innuit nomen Immanuelis.

β) Matth. 21, 42. (cf. Marc. 12, 10. 11. Luc. 20, 17. qui ultima verba omisit.)

Λιθον, ὁν ἀποδοκιμασαν οἱ οἰκοδομουντες ct. ct.	cf. Ps. 118, 22. *οἱ ὁ* eadem verba habent.

Haec allegatio Messiae spectat statum exinanitionis, qui dicitur, qualem Iudaei ante Iesu tempus viventes Messiae non tribuebant. vid. supr.

γ) Matth. 3, 3. (Marc. 1, 2. Luc. 3, 4).

Φωνη βοωντος ἐν τῃ ἐρημῳ· ἑτοιμασατε ὁδον κυριου, εὐθειας ποιειτε τας τριβους αὐτου.	cf. Ies. 40, 3. *οἱ ὁ* pro *αὐτου* posuerunt: *του θεου ἡμων.*

Haec allegatio, quia, quae adventum Messiae antecesserunt, spectat, Messianis adnumerari potest; neque tam placitum de Messia, quam rem quandam gestam tangit, uti Matth. 21, 5. 27, 35. Dissimilis haec allegatio illi est, quam protulit Matthaeus c. 11, v. 10. et quam memoria eum recoluisse vidimus. Eliam aliumve prophetam antecessurum esse Messiam

Iudaei putabant; ex desertis illum proditurum esse, nova erat sententia, quae ex re ipsa facta veteri spei addebatur. Quare locum V.T. recentiorem illam sententiam spectantem, Matthaeus, Marcus, Lucas memoriter non allegarunt. Lucas, quae in Ies. cap. laudato sequuntur verba, tanquam ad finem suum pertinentia. verbotenus ex versione Alexandrina allegat. vid. Luc. 3, 5. πασα φαραγξ ct. ct. coll. Ies. 40, 5. et sq. Iam quaeri possit, cur Evangelistae pro: εὐθειας ποιειτε τας τριβους του θεου ἡμων posuerint τας τριβους αὐτου sc. κυριου. Verba loco Iesaiae ad Iovam relata, illi ad Messiam referunt, quem cum Deo caeteris hominibus arctius quidem coniunctum, non autem Deum ipsum habebant. Cf. tamen Io. 20, 28. Ioannem dogma de divina Iesu natura prioribus Evangelistis sublimius excoluisse, constat.

δ) Matth. 4, 6.	cf. Ps. 91, 11.
Ὁτι τοις ἀγγελοις αὐτου ἐντελειται περι σου, και ἐπι χειρων ἀρουσι σε, μηποτε προςκοψης προσ λιθον τον ποδα σου.	οἱ ὁ addunt verbis περι σου: του διαφυλαξαι σε ἐνπασι ταις ὁδοις σου.

Allegatio haec rem historicam, quae Iudaeis, priusquam evenit, ignota erat, Cur ta-

men Matthaeus nonnulla Psalmistae verba omisit? Consilio, quo allegavit locum, non respondisse mihi videntur. Nam Diabolo (quem Evangelista locum illum Psalmistae recitantem profert) ei, quod Iesum iusserat, βάλε σεαυτὸν κάτω verba illa: ὅτι τοῖς ἀγγέλοις — πόδα σου, tanquam caussam, cur talia Iesum possit iubere, exhibentia, addenti, verba: τοῦ διαφυλ. σε ἐν πάσι ταῖς ὁδοῖς σου superflua erant.

ε) Similis apud Io. 19, 24. coll. Matth. 27, 35 exstat allegatio, ubi Ps. 22, 19. ad rem factam adhibitum videmus. Io. verbotenus vers. Alex. sequutus est.

Nonnulli tamen loci, quos post Iesum demum a Iudaeis ad ipsum relatos putaveris, memoriter ab Evangelistis adhibiti videntur. Referas huc, quae Luc. 22, 37. coll. Marc. 15, 28. et Ies. 53, 12. memoriter, ut videtur, recitat verba, nisi fortasse λογίζεσθαι ἐν τινι differre puttes a: λογ. μετά τινος. — Cf. praeterea Io. 15, 25. 19, 36. 37. Matth. 28, 31. ubi alia N. T. effata ad Iesum victimam pro peccatis adhibentur. — Quia tamen, ut vidimus, Iudaeis dogma de morte Messiae expiatoria novum erat, prophetarum effata aliaque V. T. loca ad illud ante

Iesum iam retulisse s. applicuisse verisimile non est. Egregie hoc prodit ex ea, qua Evangelistae Iesaiae caput 53. recitant, ratione, quod ante Iesum ad Messiae mortem expiatoriam nequaquam ipsos retulisse luculenter apparet. Cf. ea, quae supra de hoc Iesaiae cap., ab Evangelistis allegato, dixi, quibus haec addere liceat. Io. enim (12, 38) prima capitis illius verba ex vers. Al. depromit, ad Iudaeorum obstinationem adhibita; Matth. 8, 17. verba Iesaiae (v. 4.) a Petro (1, 2, 22. ct.) ad mortem Iesu expiatoriam allegata, sensu, quem exhibent, relicto, ad Iesum, aegrotos sanantem adhibet. Mysticus igitur, ut ita dicam, loci sensus Evangelistis ipsis ignotus fuisse videtur, vel ob hanc caussam, quod nunquam mystica illa usi sint interpretatione, ad Iesumque, victimam pro hominum peccatis eam adhibuerint. Nonne qualemcunque V. T. locum ad Iesum referre ubique student? cur illo V.T. loco, quod σκάνδαλον erat Iudaeis, probabile illis reddere nunquam conati sunt? Lucas enim l. l. non ipse locum Iesaiae profert, sed Iesu tantum verba exhibet, quae memoria recoluisse videtur. Sic reliqua quoque, quae ab Evangelistis ad Iesu passionem adhibentur, V.T. loca, a Iesu edocti (Luc. 24, 26. 27. 44. 45.) memoriae inculcaverant, quum, brevia tantum, perpaucis constent verbis.

Quod quidem in maiora V.T. vaticinia, qualia Matth. 1, 23. 21, 42. 4, 6. et all. non cadere posse quisque videt. Accedit, quod Evangelistae, unde verba illa sint desumta, ignorasse videntur, ad την γραφην tantum provocantes. Alia huc quoque referri potest allegatio, quam apud Matth. 13, 35. reperies: nisi et hic verba των ὁ consulto a Matthaeo mutata sunt, ideoque verba Ps. 78, 2. memoriter non prolata. vid Hug pag. 61.

Aliae sic obviae sunt allegationes, quae, etiamsi de Iesu, Messia, a Iudaeorum Christologia alicui nihil praedicent, memoriter allatae non videntur. Cf. Matth. 22, 44. coll. Luc. 20, 42 (Ps. 110, 1.) Iudaeos quae quum de regibus omnibus, tum de Davide praedicabant, ad Messiam saepenumero retulerunt. Quare locum Psalmistae quoque ad Messiam facile poterant allegare. Ex loco Matthaei tamen ipso (v. 46.) haec verborum Psalmistae de Messia explicatio Iudaeis insolens fuisse videtur. Cf. Act. 2, 25. Sic Iesaiae locus, a Luca (4, 18.) prolatus (Ies. 61, 1.) nihil alieni exhibet ab iis, quae Iudaei Messiae tribuebant.. Cf. Matth. (2, 18). Lucas tamen verba prophetae memoriter protulisse non videtur, quamquam alia omisit (verba

enim: *ἰασασθαι* ct — *καρδιαν*, spuria videntur, ex vers. nempe Alex. in Lucam illata) alia addidit: *ἀποστειλαι* ct.; in reliquis enim ad verbum vers. Alex. sequutus est.

ERRATA.

Pag.	8.	lin.	14.	leg.	Salomonem
—	11.	—	17.	—	declaratum
—	12.	—	11.	—	autoritatis
—	12.	—	23.	—	*αὐτοις*
—	13.	—	11.	—	ev. lin 16. putabant
—	13.	—	23.	—	patrare
—	14.	—	11.	—	Matthaeus
—	12	—	12.	—	vulgi
—	20.	—	7.	—	Mariam
—	21.	—	10.	—	te
—	22.	—	21.	—	inserendum
—	28.	—	1.	—	locum
—	40.	—	25.	—	quaecunque
—	61.	—	8.	—	parenthesis del.
—	—	—	27.	—	se geret
—	66.	—	13.	—	alieni
—	66.	—	15.	—	Iudaei

Moraht, Adolph [redacted]
De iis, quae ad
cognoscendam iudaeorum
Palaestinensium.